



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Ode Authoris operi, seu Soli, dicto Triplici applaudens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

# O D E

*Authoris operi, seu Soli, dicto Triplici applaudens.*

**S**at est plagarum Cynthis diffitis  
 Fulfisse Terris: pulvere sordidos  
 In amne spumanti Jugales  
 Mergere, Solo rediture nunquam.  
 Illustre non plus Æthereis solum  
 Eget favillis: propria patriæ  
 Fomenta lucis clariore  
 Flammipotens vehit orbis axe.  
 Olympe trinis vincris ignibus,  
 Quos æquioris gloria luminis  
 Cum luce stipar triplicata,  
 Fortè tuis meliore flammis.  
 Suos honorat Terra perennibus  
 Phœbus trophæis; Te Veneror Triplex  
 Sol; cujus ex uno quadrigæ  
 Præcipitant jubar *Universo*:  
 Te nulla vultus lux Phæcontii  
 Æquat, nec albæ cornua Delia,  
 Nec purpuratæ fulgurantis  
 Luciferi superant favillæ.  
 Non sic sub atra noctis imagine  
 Exurgit Arctos; dum regit invio  
 In amne puppes Argonauta;  
 Nec similes viduus recepit  
 Tunc Orbis ignes, quando Prometheus  
 Cœlo rubentes subripuit faces;  
 Vel quando per menses renatâ  
 Luce, vagi radiant Planetæ.  
 Se signa certo cætera tempore  
 Produnt, statutis Cynthius occidit,  
 Et surgit horis; Tu relectis  
 Phœbe Triplex tenebris perenni  
 Præsedici; nec tua tetrico  
 Nox atra vultu lumina dividit,  
 Ast semper accessus ad amplum  
 Das Aquilis jubar irretortis.  
 Quin & sagaci lucis acumine  
 Caliginosi nubila pectoris,  
 Est semper ignaræ latentes  
 Mentis amas refecare nubes.  
 Hinc in Sophorum Phœbe coronide  
 Subtilis audis; dum Dialecticæ  
 Calles, inaccessosque pandis  
 Conspicuis aditus favillis.  
 Sic quando noctu fallitur abditis  
 Viator antris, Bosphorus arduus  
 Regit per anfractus viarum,  
 Et medias juvat inter Alpes.  
 Vel dum Charybdis, seu canibus rapax  
 Scilla est Sicanis obvia navitis,  
 Sic Sidus è Tritonis alto  
 Argolicas trahit amne puppes.  
 At vos olympi cedite lumina  
 Ignara mentem solvere fluctibus:  
 Titanis est Trini potestas  
 In tacitis animi procellas.

Quem

Quem non tenacis cura scientiæ  
 Erroris haustum vortice sustulit?  
 Aut clara quem non in cupitum  
 Hæc retulit Cynosura portum?  
 Non plus trahendo Mellee subjugas  
 Bernarde mentem, quam violentibus  
 Evincis Augustine tædis,  
 Quas liquidis ciet in medullis  
 Amoris æstus: Te quoque prodita  
 Subtilioris Vota Scientiæ  
 O! Scote tangunt, perspicaces  
 Te celebrant quoque mentis ignes.  
 Amica magnæ flamma scientiæ  
 Est semper æquis credita Vatribus;  
 Et hinc coarctatis in unum  
 Luminibus, Triplicem paravit  
 Mens Trina Solem: cedite cætera  
 Non indecoris lumina vultibus,  
 Quæis gloriosos lucis æstus  
 Clara tulit, tribuitque Virtus.  
 Te nunc honorat Cynthie debitis  
 Virtus triumphis; quadrijugos age  
 Currus, nec æqualem rotarum  
 Circumagat Pyrois nitorem.  
 Te digna pennis Fama loquacibus  
 Fert elevatum Pyramidas super,  
 Sublimiori surge mole,  
 Quàm Rhodii simulacra sursum  
 Surgant Colossi; nubibus æmula  
 Stet alma virtus, quæ radiantibus  
 Te Phoebe flammis, & decoris  
 Te facibus sapienter ornat.  
 Nec est, quod atro lumina calculo  
 Notare possit; stat sinè squallida  
 Solnube: perfectum decore  
 Sub numeris later omne trinis;  
 Hinc cede mordax, cujus acinacem  
 Vel ora stringunt nata lacefere,  
 Vel labra non æquè fideles  
 Dissimulant taciturna laudes.  
 Nil hinc, quod acres fortè refellere  
 Queant Carones, vel rigidi Numæ,  
 Nil, quod Terapnæi gravare  
 Judicium valeat Lycurgi.  
 Faceffe, cujus pectora ludicro  
 Mox alterandi Schematè Prothei  
 Ludunt; vel inter tortuosas  
 Verba premis (sed inanè) formas.  
 Non tale Solem pectus inertibus  
 Miscebit Umbris: desine Gordios  
 Laxare nexus, qui Tri-unas  
 Fortè paras hebetare flammis;  
 Dum thura clauso Vas tegit ostio,  
 Frustra salutis Hipotide Notos  
 Cies lupatis, atque frustra  
 Æolio fremit Euris antro;  
 Et vana frustra Jupiter evibrat  
 In laureatum fulmina verticem:  
 Sic nulla tempestatis auctas  
 Nox minuet glomerata flammis.

Quin

Quin Posterorum pulpita Triplici  
Phœbo micabunt; Fama volucris,  
Sol Trine! pennis Te Nepotum  
Tardigrados vehet inter annos.

*Debiti amoris, & gratitudinis, affectus particularis, & singularis propensionis ergo, posuit*

Totum Studium S. Theologiæ Generale Pragenſe, pro tempore, dum manus ultima operi imponeretur Anno 1676.  
die 10. Januarii,

*Lusus Epigrammatis ad triplex Nomen Authoris.*

A M A N D U S.

Quid cumulas flammis, atque auctis ignibus auges  
Lumina, Phœbeum ter repetendo jubar?  
Si tuus hoc fortasse calens Amor indiget igne,  
His sine subsidiis semper A M A N D U S eras.

H E R M A N N.

A Te verba suos capiunt elegantia fluxus,  
Fert limata suas pagina quæque notas.  
Scilicet irriguos jactas in nomine rores,  
*Unica (a) Rorem Hermon litera versa facit.*

(a) Psal. 138.

S I L E S I U S.

Te tacitis rebar doctrinam condere labris,  
Nec proprio doctum nomine, velle loqui:  
Quin tamen in tantas sine more Sophia loquelas  
Prodit, ut in quavis fortius aure sonet.  
Fallor, an ipsa ferat sine Te Sapia voces,  
Ast ferre articulis has nequit absque tuis.  
Nempe (scio) loqueris, dum Te Doctrina Magistrum  
Pofcit, dum dici vis *Silesita siles.*

*Lusus alius ad Titulum Operis, seu Solem Triplicem.*

Sol Augustini,

Augustine Solum Te magnum lumen adorat,  
Sed quale hoc, toties ambigo, lumen erit?  
Jam scio, quo deceat Te nomine Dive vocari,  
Quo Solem *Majum* Vox Sacra Lumen ait.

Sol Bernardi.

Hoc Bernarde Tuus quoque Phœbus in æthere fulget,  
Auricomâsque Tuo detegis igne faces.  
Hinc ut adire queant sublimibus æthera pennis,  
Mellee dic Aquilas, quas modo dicis apes.

Sol Subtilis Scoti.

His Tua se Patribus mens conformare duobus  
Scote studet, patrium suscipis inde decus.  
Quàm bene jam merito dicam Te nomine Solem,  
Ipse duces sequitur Sol oriturus equos.

*Hoc amoris, & debiti erga M. V. P. Amandum Hermann suum Lectorem  
Generalem, & actualem gratitudinis schema posuit*

Idem Studium S. Theologiæ Generale Pragenſe, Ord.  
Fratrum Min. S. Francisci Reform. in Conventu  
S. Mariæ ad Nives.

INDEX